



**Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Concl. V. Dixisti peccatum ùt dubium, si postea reperias certum, consulitur  
iterata Confessio, obligatio non convincitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)



amplius tenebitur; quia declaravit sua peccata in specie ac sigillatim, prout tunc erant in conscientia, quod solum requiritur à Concilio Trid. porro error Confessarii in imponenda Pœnitentia invincibilis fuit, ut suppono, qui proinde non potest obligare ad iteratam Confessionem; immo etiam si fuisset vincibilis, dummodo pœnitens non fuerit causa graviter culpabilis.

133. Defectus satisfactionis non inducit obligationem iteratæ Confessionis eorundem peccatorum.

Quid enim si per oblivionem Confessarius non imposuisset ullam Pœnitentiam, nonne pœnitens propterea iteratò deberet confiteri eadem peccata? Liqueat quod non; quia satisfactio tantum est pars integralis, nullatenus requisita ad validam & directam Absolutionem peccatorum, quæ sola ex jure divino Confessionis est necessaria; alioquin qui oblitus fuisset Satisfactionis, sive culpabiliter, sive absque culpa, teneretur iteratò confiteri eadem peccata, quod caret solido fundamento, ut proprio loco videbimus; multò minùs, si solum fuit defectus condignæ Satisfactionis.

Quantum ad illud, qui confessus est peccatum ut dubium, & postea reperit esse certum, an teneatur iterum confiteri tamquam certum, sub iudice lis est, ut patebit ex Conclusione sequenti, quæ sic sonat:

CONCLUSIO V.

Dixisti peccatum ut dubium, si postea reperias certum, consultur iterata Confessio, obligatio non convincitur.

134. Peccatum confessum ut certum, non debet iterum confiteri ut dubium, etsi tale postea deprehendatur.

Suppono peccatum confessum ut certum, non debere iterum confiteri ut dubium, quamvis postea ut tale deprehendatur: immo, quamvis nullum fuisse, certissimum foret, nihil propterea iterandum aut renovandum arbitror; quia quod factum est, infectum fieri nequit; nisi fortè Pœnitens obligaretur per accidens recuperare famam suam, quam apud Confessarium amiserat. Similiter, qui bonâ fide confessus fuit certum numerum peccatorum, quamvis postea indubitanter constet de minori numero, non obligatur rursùm confiteri numerum minorem. Ratio est: quia in majori numero continetur minor. Proinde qui absolvitur à decem fornicationibus, etiam absolvitur ab octo.

135. Peccata explicanda prout sunt in conscientia tempore Confessionis.

Suppono secundò cum communi DD. peccata explicanda esse, prout sunt in conscientia tempore Confessionis: adeoque dubia explicanda esse ut dubia, certa ut certa. Idem est cum proportione, quando pœnitens est certus de mortali commisso; dubitat tamen de specie, aut de certa circumstantia speciem mu-

rante; v. g. certus est de peccato mortali in genere, dubitat de furto, homicidio, fornicatione &c. certus est de peccato mortali furto, dubitat an fuerit res sacra vel profana: certus est de peccato fornicationis, dubitat an fuerit persona conjugata, sacra, consanguinea &c. debet explicare sicut novit, dicendo v. g. *Fui fornicatus, & dubito utrum fuerit persona conjugata*, & sic de aliis: nulla enim est ratio eam excusandi à Confessione illius malitiæ sive genericæ, sive specificæ, quam habet certam in conscientia: similiter à malitiâ specificâ dubia, si verum est, quòd peccata dubia necessariò sint confitenda.

Sed dicit aliquis: Hæc verba: *Prout sunt in conscientia*, non lego in Conc. Trident. Quæ ergo? *Quorum post diligentem sui conscientiam conscientiam habent.* Quæto igitur: peccatum certum & dubium, v. g. fornicatio certa & dubia, sunt peccata specie aut numero distincta, vel non? Esse distincta, nemo asserit. Infero; ergo qui confitetur fornicationem dubiam, dicendo: *Fui fornicatus*, recusat in Confessione peccatum mortale, cujus post diligentem sui conscientiam conscientiam habet.

Quòd autem debeat in Confessione recensere suam conscientiam & declarare Confessario, quòd fuerit propriè dicta conscientia, id est, cordis scientia, seu certa conscientia (ut Aliqui eam explicant) vel certè improprie dicta, id est, dubia conscientia, supposito quòd certitudo & incertitudo non diversificent peccatum specie vel numero, ubi scriptum habetur: *Cur ergo imponitur illa obligatio? An fortè, quia aliàs Sacerdotes non poterunt levare æquitatem in pœnitentis injungendis? Verùm omnimoda æquitas non requiritur, ut dictum fuit supra, ubi de circumstantiis solum aggravantibus.*

Et sanè si peccatum dubium est ejusdem speciei cum peccato certo, & materia necessaria, ut jam suppono, cur non meretur eandem pœnitentiam? Aut saltem cur Sacerdos non possit imponere eandem pœnitentiam pro uno, & altero peccato, sicut potest imponere pro peccato semel confessio, & non confessio? Si ergo prior Confessio tamen sit in conscientia pœnitentis, non debet necessariò explicari, quia non est circumstantia tenens se ex parte objecti & peccati, id est, immutans speciem objecti & peccati; cur debeat explicari certitudo vel incertitudo, quæ similiter non est circumstantia se tenens ex parte objecti & peccati, sed ex parte cognitionis? Si ergo prior Confessio non debet explicari in Confessione, tamen ex materia necessaria faciat liberam; quando minùs incertitudo, quæ non impedit, quòd minùs totum peccatum sit integrè in Confessione manifestatum, & insuper relinquit materiam necessariam?



Si dixeris: peccatum semel confessum est certò materia Absolutionis, secùs peccatum dubium; cum possit fieri, ut non fuerit à parte rei peccatum. Contrà; si peccatum dubium non est certò materia Absolutionis, quomodo ergo potest esse materia necessaria? An aliquid potest esse materia necessaria, & non materia? Immo, potest esse aliquid materia libera, & non materia? Est implicancia in terminis: sic enim esset materia, & non materia.

Si ergo Christus voluit, ut peccata dubia applicarentur in Confessione, etiam voluit, ut absolventur. Ergo voluit, ut forma esse dubia vel certa, secundum certitudinem vel incertitudinem peccatorum, quæ poenitens recenset in Confessione, sive Confessarius id sciat, sive non; cum ab his conditionibus non dependeat specifica aut numerica malitia, quas solas voluit Christus recenseri.

Quinimò, reponit quispiam, etiam malitia generica, dependet ab his conditionibus: nam peccatum dubium potest esse non peccatum. Contrà etiam peccatum tantum probabile potest esse non peccatum; ergo teneor illam probabilitatem explicare in Confessione, negatur Consequencia. Nam etiam potest esse peccatum, & prudenter judicatur esse peccatum, & ideo simpliciter ut tale potest confiteri. Et licet peccatum dubium non possit prudenter judicari esse peccatum à parte rei, tamen potest prudenter judicari esse peccatum in ordine ad Confessionem. Hæc dicta sicut inquisitionis ergò, non resolutionis.

Nunc ad Conclusionem, cujus prima pars nullam habet difficultatem: cum enim iterata Confessio licita sit, & honesta, maximeque proficua, immò secundum communioem opinionem DD. obligatoria; quidni jure meritisimo consulatur, & practicetur? Ita planè est.

Quantum ad secundam partem, præcipuum fundamentum, cui innititur obligatio iteratæ Confessionis, est: Oportet à poenitentibus in Confessione recenseri omnia peccata mortalia, prout sunt in conscientia. Ergo si ab initio illud peccatum fuisset certum, ut tale debuisset recenseri: ergo postea quando jam scio esse certum, debeat illud confiteri ut certum.

Respondeo negando posteriorem Consequentiam. Disparitatem do; quòd ab initio peccatum illud non erat directè absolutum; secùs postea, quando jam scio esse certum. Oportet igitur à poenitentibus in Confessione recenseri omnia peccata mortalia prout sunt in conscientia tempore directæ Absolutionis, sive, omnia peccata mortalia non directè absoluta. Jam autem peccatum istud priùs ut dubium recensitum, prout tunc erat in conscientia, prout tunc directè fuit absolutum; ergo licet postea appareat certum, non est iteratò confitendum. Atque hoc sit fundamentum contrariæ opinio-

nis, quam absolutè docet Arriaga disp. 31. n. 46.

Quòd autem istud peccatum fuerit directè absolutum; probatur: quia directè Absolutio nisi aliud est, quàm Absolutio alicujus peccati in specie ac sigillatim declarati; atqui tale peccatum dubium fuit in specie ac sigillatim declaratum; ergo &c. Major est evidens. Minor probatur; quia, ut superius insinuavi, certitudo & incertitudo non se tenent ex parte objecti, sed ex parte cognoscentis: ergo non mutant malitiam specificam, aut numericam alicujus actus; ergo sive illud peccatum declaratur ut certum, sive ut dubium, equidem declaratur in specie & sigillatim: ergò absolvetur directè.

Quid igitur; si quis ex inadvertentia, aut ex ignorantia invincibili, bonâ fide putans id esse licitum, peccatum alioquin certum, declarasset ut dubium; nonne cognito suo errore teneretur iteratò confiteri idem peccatum ut certum? Nec vincitur hujusmodi obligatio: jam enim directè ab illo peccato fuit absolutus.

Dico: Ex inadvertentia &c, aliàs, secundum DD. communiter, peccasse mendacio graviter pernicioso, decipiens Confessarium in materia gravi hujus tribunalis, adòque Absolutio fuisse invalida defectu debiti doloris, & integritatis formalis.

Dices cum Dicastillone disp. 9. n. 135. Hinc sequitur, si quis esset memor se peccasse mortaliter, & quidem aliquoties, sed non memor sit in qua specie & numero, arque sic confessus illa, absolvetur; etiam si postea clarè specierum, & numeri meminere; non teneat amplius ea peccata confiteri. Probatur sequela: quia illa Absolutio fuit directè illorum peccatorum.

Sequeretur ulterius, quòd qui confiteretur dicendo: *Accuso me de peccatis commissis in tota mea vita, de quibus non recordor, si forte non illa confessus sum; peto, de illis omnibus Absolutionem.* Vel: *Accuso me ad cautelam de omnibus perjuris, adulteris, furtis totius vite mee, quæ omnia, si meminissim, explicarem; & peto ab illis absolvi,* non teneretur, etiam si postea videret se fecisse multa talia, illa confiteri; ob eandem rationem Absolutionis directæ datæ. Hæc ille.

Respondeo; non esse eandem rationem, sed planè diversam: quia in nostro casu declaratur peccatum in specie & sigillatim; secùs in his casibus; & ideo in nostro casu est Absolutio directè; in his autem casibus solum Absolutio indirecta. Sive (quod in idem redit) in nostro casu declaratur peccatum in ordine ad Absolutionem, sicut Christus voluit illud declarari, scilicet in specie & sigillatim: nam de certitudine & incertitudine nihil expressè dixit Conc. Trident. Atque ut deberet alterutram conditionem explicare, explicat incertitudinem, ut sup-

solus doct. Arriaga.

Quid sit directè Absolutio.

139.

An qui bonâ fide peccatum sibi certum declarasset ut dubium, teneretur cognito errore iteratò confiteri.

140.

Objectio ex Dicastillone.





ut suppono. In alijs autem casibus solum declaratur peccatum in genere, & non in specie ac sigillatim; ergo per priorem Confessionem satisfit præcepto Christi; secus per Confessiones posteriores. Quid ergo mirum, si in posterioribus casibus sit obligatio rursus confitendi, non autem in casu priori?

141. **Objectio solvitur.**  
Si inferas: ergo datur Sacramentum Pœnitentia validum, in quo non absolvitur directè ullum peccatum; Concedo totum. Ubi enim est definitum, quod semper debeat absolvi aliquod peccatum directè? Vel distinguo Consequens: in quo non absolvitur aliquod peccatum directè coram Deo, seu in foro Dei, nego; in foro Ecclesiæ; concedo totum.

**Instantia.**  
Sed contrà (inquis) praxis Ecclesiæ, & sensus DD. ostendunt, Christum voluisse explicationem certitudinis peccati, quodcumque illa occurreret memorie.

**Solvitur.**  
Respondeo; multa praticari in Ecclesiâ, quæ non sunt obligatoria. Porro sensus Doctorum solum est, quod fideles confiteantur peccata dubia, ut dubia, & certa ut certa. Quod autem semel confessi ut dubia, postea debeant confiteri ut certa, quamvis Multi id doceant, & ideo tutius sit id fieri; Alii tamen docent contrarium: immò omnes illi debent docere contrarium, qui asserunt hanc Confessionem non iterandam; *Accuso me fornicatum tertio plus minus*, quamvis postea penitens recordetur se 4. vel 2. tantum fuisse fornicatum. Hæc autem est communissima sententia DD. quamvis aliqui Recenciores, inter quos Dicastillo, quia non inveniunt rationem disparitatis, communiter asserunt obligationem etiam hoc casu iterandi Confessionem. Quod autem sit eadem ratio utriusque casus patet: quia qui confitetur se fornicatum tertio plus minus, sub dubio confitetur quartam fornicationem, immò & tertiam, eodem modo ac si diceret: *Accuso me de duabus fornicationibus certis, & de duabus dubiis.*

**142. Praxi communi opponitur alia praxis communis.**  
Præterea, praxi communi aliam praxim communem opponimus, videlicet: Nemo obligat pueros vel rusticos ad repetendas Confessiones, quamvis aliquando ex ignorantia vel inadvertentia confuse satis fuerint confessi, non ita distinctè exprimentes species & numerum peccatorum, veluti de facto melius instructi possent exprimere; quia nimirum Confessarius tunc cognovit confusam speciem & numerum peccatorum, quantum ex illorum conditione & capacitate poterat cognoscere.

**Responso Dicastillo nis.**  
Respondet Dicastillo supra n. 129. quod prædicti non cogantur repetere Confessiones, provenire potest vel ex eo, quod vix possit etiam postea sperari, quod se ita possint, vel quoad numerum, pueri jam facti grandiores, vel quoad speciem, illi rustici sapientiores facti, explicare, ut notabiliter varietur conceptus, quem Confessarius debuisset habere de statu conscientia; vel certè quod licet nunc possent

distinguere species peccatorum fortasse sapientius & accuratius, tamen nunc non habenda ratio est cognitionis, quam nunc habent, sed ejus, quam habuerunt quando peccarunt; quia peccatum factum sine ulla notitia alicujus specificæ malitiæ, quam reverà habuisset tunc, si ea cognosceretur, non habet talem malitiam, nec debet explicari sub ea malitia. Hæc ille.

Sed contrà: DD. communiter non assignant illas rationes, sed quam nos superius assignavimus; quia videlicet Confessarius habuit confusam notitiam speciei & numeri, quæ pro tunc erat possibilis. Ceteroquin dato casu, quod jam distinctè omnino possent explicari species & numerus, non dubito quin hic Auctor consequenter deberet asserere obligationem iteratè confitendi: cum sit planè eadem ratio, ne dicam major; nam absolute constat ex Tridentino præceptum Christi obligare ad exprimenda peccata in specie & sigillatim, non ita ad exprimendam certitudinem vel incertitudinem.

Aliter probatur seu confirmatur sententia Arriagæ: quia si quis dubius de voto, aut irregularitate, censuræ, petat Absolutionem cum hac conditione, si fortè obstrictus sit, eaque ipsi detur; non debet (est deinde deprehendat se certò obstrictum) petere novam Absolutionem: quia prior ideo est data, ut si forte ipsa posita sit ea conditio, seu si re ipsa sit votum &c. maneat homo liber. Ergo quando deprehendit certò re ipsa fuisse votum, jam deprehendit certò fuisse Absolutionem validam, ac proinde non est, cur cogatur petere secundam. Ergo similiter ratio cinandum de peccato dubio, & ejus Absolutione.

Respondet Dicastillo supra n. 131. N. C. quod est illa Absolutio peccati dubii foret valida & directæ. Rationem disparitatis assignat præceptum Christi, confitendi peccatum certò commissum, quando jam certò constat.

Sed hoc est, quod queritur, & probatum oportet, non suppositum. Porro non aliter probat, quam dicendo: id declarat usus & praxis Ecclesiæ, in qua omnes fatemur, Sacerdotem Confessarium esse Judicem, Medicum, Magistrum, & Instrucentem penitentis. Aliter verò judicandum est, & imponenda Satisfactio sacramentalis, remedia etiam præcautiva aliter præscribenda, aliter instruendus & dirigendus penitens, qui plura & certa, & graviorum quarumdam specierum habet peccata, quam qui solum dubia, pauca, & talium specierum, quæ sint minoris gravitatis, & periculi minus frequentis. Hæc ille n. 138.

Respondeo: prorsus aliter instruendus & dirigendus penitens, qui plura & graviorum quarumdam specierum peccata habet, quam qui solum pauca, & talium specierum, quæ sunt minoris gravitatis; & aliter imponenda Satisfactio: ergo etiam aliter instruendus & dirigendus



gendus poenitens, qui habet peccata certa, quam qui solum habet dubia; negatur Confessione: & dico, eodem modo debere instrui & dirigi: cum enim incertum sit, an v. g. commiserit adulterium, nisi instruat & dirigatur, sicut ille qui certus est, jam dubitatur de sufficienti instructione & directione, cum fieri possit, ut verè commiserit adulterium. Veluti ergo poenitens obligatur, secundum communem sententiam, confiteri peccatum dubium, & in dubio peccati adhibere certum remedium, id est, certam Confessionem; quidni etiam Confessarius teneatur adhibere certam instructionem & directionem, quæ non potest non esse utilis, neque exposita esse periculo alicujus irreverentia, sicuti exposita est certa Absolutio?

Quantum ad Satisfactionem; cum etiam hæc non possit nocere, tamen fore major imponatur, quam peccatum secundum se requirit; & aliunde si non tanta imponatur, sicuti pro peccato certo, jam poenitens exponatur periculo non perfectè satisfaciendi pro peccato commisso, adeoque carenti plenâ remissione preteritorum temporalium, quam aliàs acciperet; quidni saltem possit Confessarius eandem Satisfactionem imponere, si non absolute, saltem conditionate, dicendo: *si postea reperias peccatum certum, facies talem poenitentiam?* Non video, quid obstat.

Dices: si valet argumentum ab Absolutione à censura dubia, ad Absolutionem à peccato dubio; ergo etiam valet argumentum ab Absolutione à censura possibili, ad Absolutionem à peccato possibili. Ergo sicuti ista valet, tamen postea aliqua reperitur, nec opus est novâ petitione Absolutionis; pari ratione non erit opus novâ Absolutione, si quis confessus fuerit peccatum possibile, v. g. *Accusato me quod peccaverim cum femina, que potuit esse coniugata*, tamen postea sciat verè fuisse conjugatam. Respondeo N. C. Do disparitatem, nimirum: Pontifex potest tollere sub conditione similia vincula possibile, sine precedenti accusatione, ut patet ex communi praxi Ecclesie; hic autem requiritur accusatio, qualis non est propositio peccati ut possibilis.

Nec obstat huic doctrinæ, quod diximus Conclusionem præcedenti, putà, peccatum dubium non esse simpliciter peccatum, sed tantum secundum quid: nam id verum est in odiosis; v. g. dum reservatur aliquod peccatum, per illud intelligitur peccatum certum, & in ordine ad illam reservationem, peccatum dubium non confetur simpliciter peccatum, sed tantum secundum quid. Et consimiliter respectu obligationis confitendi, quæ juxta communem apprehensionem est odiosa, non confetur peccatum dubium peccatum simpliciter, sed secundum quid.

Hoc autem non obstat, quin in favorabili-

bus simpliciter veniat nomine peccati: favorebile autem est, peccatum dubium semel absolutum, non debere iteratò confiteri, estò postea occurrat certum. Igitur in ordine ad Absolutionem, peccatum dubium est simpliciter peccatum, ejusdem gravitatis specificæ & numericae cum peccato certo; quemadmodum peccatum confessum, & non confessum, estò dubietas illa accidentaliter minuat illam gravitatem, uti etiam præcedens Confessio.

Quæ cum ita sint, aliqui viti dicit (inquit Lugo disp. 16. n. 92.) probabile judicant, non tecti postea poenitentem confiteri ut certum, quod prius de dubio confessus fuerat, prout tunc verè sibi erat. In quibus erat Reverendissimus Pater Nicolaus Richardus sacri Palatii Magister, cum quo privatim hanc rem contuli; & ipse privatim etiam respondit, valde probabile sibi visum, non adesse talem obligationem, id quod alii etiam judicant.

Ceterum, quia in re morali non est facile recedendum à communi sensu; & quia nullum inventio Scriptorem pro ea parte; eos autem paucos, qui hoc attigerunt, video in contrarium inclinare; nolo ego in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere. Hæc ille.

Sed quod ipse non invenit, ego reperi, & non unum tantum Scriptorem, videlicet Ariagam, quem superius allegavi; sed etiam Caramuelem, qui Theol. Moralis lib. 3. n. 1539. sic ait: Confessio peccati dubium ut dubium, si deprehendat deinde certum, non tenetur id ut certum confiteri. Idem docet Thomas Tamburinus de Confessione lib. 2. c. 1. §. 4. n. 24. dicens: Quoad substantiam actus, in quo est major controversia, adhuc dico, probabilissimum etiam esse, poenitentem non obligari ad iteratam Confessionem. Quamobrem si quis sub dubio bonâ fide dixit se peccasse v. g. & deinde comperit se peccasse certo, non tenebitur iterum illud perjuriæ tamquam certum confiteri. Hæc etiam Tamburinus. Quapropter verissimè dixi in Conclusionem: *Obligatio (iterata Confessionis) non committitur.*

Hoc unicum pro complemento adjicio; qui integrè confessus fuit peccatum secundum omnes suas circumstantias, estò ipse non distinxerit, utrum fuerit veniale vel mortale; immò etiam si id Confessarius ipse non cognoverit, non tamen obligatur, secundum DD. communiter, si postea certo deprehendat fuisse mortale, illud secundò confiteri.

Rationem assignat Sanchez lib. 1. in Decal. c. 10. n. 69. quia jam plenè in Confessione suam peccatum detexit, nec nova circumstantia explicanda occurrit, nec ad Confessionis valorem est necessarium, ut Poenitens aut Confessarius sciat determinare peccatum.

147. Aliqui Re- centiores cen- sent non esse iterato confite- dum in causa Conclat.

Lugo nihil in hoc pun- cto vult de- finire.

Artiaga, Caramuel, & Tambu- rinus de- finient non esse obliga- tionem.

148. An sufficiat confiteri peccatum secundum omnes suas circumstan- tias, non distinguen- do utrum fuerit mor- tale vel ve- niale.

Sanchez.



catum detectum esse mortale. Quippe in omnibus id scire, est impossibile. Hæc ille.

149. Sed contra: pono casum; quod aliquis peccaverit cum femina, quam, dum confitetur, nec ipse, nec Confessarius potest scire determinatè qualis fuerit, soluta an conjugata; si postea sciat fuisse conjugatam, quæro an non teneatur iteratò confiteri?

Si in hoc casu sit obligatio; cur non etiam in casu Sanchii? Vel si in casu Sanchii non est obligatio; cur erit obligatio in hoc casu? Numquid veniale & mortale minds differunt inter se, quam simplex fornicatio & adulterium? Profectò peccatum veniale à mortali non solum specie, sed genere morali differt. Si ergo Confessarius non debet determinatè scire differentiam genericam, quæ constituit unum peccatum materiam necessariam Confessionis, & aliud relinquit materiam liberam, cur debeat determinatè scire differentiam specificam, quàm genericam. Neque plenè in Confessione suum peccatum detegit, qui non detegit malitiam mortalem aut venialem: nec minùs explicandum est genus in Confessione, quàm species aut circumstantia. Hæc mature expendantur.

Ego, quia laboro non in aggravando onere Confessionis, sed in alleviando, libenter amplector sententiam communem; quia esset nimis grave onus, obligare penitentem ad hoc, ut Confessarius formet iudicium de qualitate venialis aut mortalis, postquam iam ipse ex parte sua rem totam cum omnibus suis circumstantiis declaravit. Unde non creditur Christus ad ampliùs obligasse. Voluntas ergo Christi est ratio à priori.

Congruentiam aliquam assignat Arriaga supra n. 50. Nam (inquit) quòd circumstantiis omnibus iam enarratis Confessarius iudicet esse mortale aut veniale, pendet ex doctrina & ingenio; aut è contrario ex stoliditate ejusdem Confessarii, quam penitens non tenetur examinare; nec deceret id facere, uti etiam non expediret eundem interrogare, an intellexerit quale illud peccatum sit; debet enim supponere penitens in Confessario esse sufficientem pro hac distinctione scientiam. Et licet ipsi constet, quòd fortasse Confessarius aliter judicaverit, non est cur cogatur iterum redire, & illum informare aliter; sicut si ipse sincerè determinatè numerum peccatorum exposuisset, estò fortasse Confessarius ex aliqua inadvertentia putasset, alium numerum fuisse, & hoc post Confessionem sincerè factam deprehendisset, nequaquam teneretur ideo secundò confiteri ad eam ignorantiam depellendam; quia hoc esset onus expositum gravissimis scrupulis & afflictionibus consentium. Hucusque Arriaga.

Addit tamen; si penitens (licet bonà fide) tali modo narraſſet suum peccatum, ut quasi necessariò ea narratio induceret in quocumque Confessario, etiam prudenti, iudicium, quòd non fuisset nisi veniale, & deprehendisset postea idem penitens fuisse mortale; tunc (inquit) omnino judicarem illam teneri ad declarandum fuisse mortale: quia tunc ex parte sua non fecisset id, quod erat necessarium ad hoc, ut Sacerdos ferret iudicium de qualitate ejus peccati.

Idem & ego judicarem, nisi & hoc esset opus expositum gravioribus scrupulis & afflictionibus penitentium, qui continè erunt anxii, an tali modo narraſſerint suum peccatum, ut prudens Confessarius posset judicare, fuisse mortale. Cur ergo etiam in hoc casu, ortus istud non potest exculcare penitentes ab iterata Confessione, sicuti exculat rusticos, mulierculas & pueros, qui bonà fide suas Confessiones coram Parocho grossiori modo exhibuerunt, licet peritiores vel grandiores effecti, videant in multis se defecisse? Non video sufficientem disparitatem; cum & illi rustici, mulierculæ & pueri non fecerint ex sua parte, quod erat necessarium, ad hoc ut Sacerdos ferret iudicium de specie & numero peccatorum, & tamen non coguntur repetere Confessiones.

Nihilominus tutius erit, habità perfectè & certà cognitione defectus, iterum declarare eadem peccata eo modo, ut Sacerdos possit, nisi obſtet ejus ignorantia & stoliditas, ferre iudicium de genere, specie & numero peccatorum. Similiter tutius erit, peccatum id dubium declaratum, si postea reperitur certum, iteratò ut certum exprimeret, imò fortè necessarium. Quid enim tam essenziale peccato, quàm existentia? Adeoque certitudo existentia videri posset esse circumstantia seu conditio, tenens se ex parte objecti & peccati; non minùs quàm ipsa existentia, que indubiè tenet se ex parte objecti & peccati, & primo loco explicanda est in Confessione; cum peccatum existens, & non existens, plùs differant, quàm peccata specie, aut numero distincta.

Occasione hujus difficultatis, quæſtio movetur, ad quid se extendant illa verba, quibus non rarò utuntur fideles in Confessione: *Plùs, minùsve*? Responſio erit

CONCLUSIO VI.

Qui dixit se decies peccasse plùs minùsve, sufficienter explicavit numerum peccatorum, quamvis postea comperiat se duode-

149. Objectio contra sententiam affirmantem.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.